

remibus tribus, quæ ab Istris & Dalmatis ad illum vene-
rant, Padum flumen ingredi damnis Alfonso inferendis
est a Senatu jussus. Inter has belli cogitationes rei etiam
pacatæ, quæ malum in exemplum inverecundia civium
impudentiæque vertebatur, Patres animum adhibuerunt.
Nam cum in creandis magistratibus ambitus eo anno ma-
gnopere viguisse, ut prensandis civibus, qui suffragia in
comitio daturi essent, a candidatis & candidatorum pro-
pinquis clientibusque nullus modus fieret, nulla eos mo-
destia contineret: lex est in Decemvirum collegio perlata:
qui deinceps civis civem rogaverit, ut sibi aut alicui suo-
rum in dando suffragio fautor sit, is ad ullum magistra-
tum, aut omnino reipublicæ in comitio munus **X.** annos
ne admittatur: & si in magistratu fuerit, ab eo rejici-
tur: cui autem rogari se contigerit, is rogatoris nomen
ad Decemviros deferat: id si non fecerit, quinque annos
eandem multam subeat. ita magnæ civium molestiæ a Pa-
tribus obviam est itum. Jussi etiam sunt Dominicus Tri-
visanus templi Marcii procurator, Leonardus Mocenicus,
legati ad Julium a Senatu pridem lecti, ut statim consen-
derent, Ravennamque proficerentur, ut Bononiam se
conferrent. Literæ post hæc ad legatos Grittum & Ca-
pellum datæ, uti alter eorum cum exercitus parte in fines
Rhodigianos atque ad Padi ripas accederet, ut quantum
posset Alfonso noceret. ita factum a Paulo est, cum id
illi muneris sorte ducta obtigisset. Maurus classis præfectus
cum triremibus tribus Padi ostium, qui Vatrenus appel-
latur, ad triremes ex Venetorum classe jampridem capta-
duas, quas Alfonsus suis hominibus armaverat, ibique con-
tinebat, atque iis qui itinerum causa mare illud exerce-
bant, multa damna intulerat, capiendas aut omnino re-
pellendas est ingressus, frustra: illi enim sive admoniti, seu
etiam casu, ad superiora se se fluminis jam receperant.

*Lex de am-
bitu.*

Senatus interim ad pecuniam belli rebus subministran-
dam, cuius magnopere indigebat, medium unius censi
partem civibus imposuit, certis conditionibus, quo faci-
lius ea ipsa pars exigetur, adhibitis. Paulus autem le-